1116

Lane Medical Library

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XV. M. AUGUSTI A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUSTAVUS SIMON

POLZINENSIS.

OPPONENTIBUS:

F. MARGGRAFF, med. et chir. Dr.
G. HOMEYER, reg. auscult.
GUIL. STEIN, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO,

AD CINERES USQUE SUMMA PIETATE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Ab antiquissimis jam temporibus medici causis ac naturae febrium intermittentium cognoscendis operam dederunt, praesertim cum in maris mediterranei oris, ubi primum culta est et celebrata medicina, intermittentes sint creberrimae et fere endemiae. Sed cum symptomata ad tempus spectantia maxime sint insignia atque singularia, omnes medici in temporis phaenomena exploranda totum suum studium contulerunt, ita ut, cum morbi qualitatem omnino negligerent, in perscrutando febrium typo in infinitum progrederentur. Quod unius partis morbi studium summos in errores eos perduxit. Recentiores vero, cum primi de mutationibus qualitativis una cum quantitativis investigandis mererentur, qua via, quae hac in parte adhuc obscura neque satis explorata essent, cognosci possent, ostenderunt.

§. 1. PHYSIOLOGIA.

Considerantes nos intermittentium vim ac naturam, hunc morbum cum sanguinis tum nervorum mutatione niti, fugere nullo modo potest.

I. Quod ad sanguinis mutationes pertinet, primus Brown, deinde Andral invenerunt, albumine et fibrina non mutatis, aquae multitudinem multo esse majorem, corpusculorum vero sanguinis minorem. Utrum aliae adhuc partes anomalae in sanguine adsint, necne, nondum satis constat. Quamquam morbi causam, cum majori bilis copia, quae interdum in sanguine reperitur, effici nequeat, in carbonei et hydrogenii conjunctione aliqua, experimentis chemicis quidem non probata, positam esse eo magis verisimile est, quia morbi genesis et crises idem probare videntur. Ad febres enim intermittentes provocandas maximi est momenti propria quaedam aëris natura, scilicet malaria, in qua auctore Daniel imprimis inveniuntur gasa C. CH. PH. SH. N., quae respiratione in pulmones ducta, postquam sanguine recepta sunt, in criseos stadio sudoribus male olentibus atque urinae sedimentis magnam partem rursus excernuntur. Qua sanguinis dyscrasia gignuntur morbi peculiaria signa et symptomata haec:

a. Color faciei pallidus, luteus chloroticus, qui omnium hominum regiones malaria abundantes inhabitantium proprius est.

b. Dispositum ad affectiones hydropicas corpus, quod in primis jam paroxysmis interdum apparet.

c. Intumescentia quaedam lienis, quae aut perpetua etiam in apyrexia in interm. gravioribus, aut in pyrexia solum existere solet. Simul sunt variae mutationes cohaerentiae lienis, cum modo mollescat usque ad rupturam,

modo indurescat, saepe lympha plastica in involucro exsudata; hoc praecipue in interm. inflammatoriis, illud in quartanis et torpidis accidit.

II. Sanguis ita depravatus, sicuti omnia organismo aliena, irritat nervos cum vasomotorios, ita ut sub paroxysmorum forma reagant, tum omnia alia nervorum systemata, quae suo quodque modo alias organismi alienationes provocant, ut mania periodica, melancholia, amblyopia, amaurosis, cett. in interm. occurrere possint.

§. 2. DIVISIO FEBRIUM INTERMITTENTIUM ET SYMPTOMATA.

Affectionibus nervorum supra demonstratis nitebatur divisio intermittentium in febres legitimas et larvatas. Legitimae sunt eae, quas vasomotoriis nervis irritatis febris semper comitatur; contra febres larvatae seu illegitimae dicuntur eae, quarum vera natura ita lateat sub alienis signis aliorum morborum, atque interdum tantum, periodicitate ceteris febribus interm. adaequata, charactera febrilem ostendat, ut medico difficillimum sit, eam sub hac larva dignoscere.

A. Febres intermittentes legitimae dividuntur

1. Pro typo, quo paroxysmi subsequuntur, in quotidianas, tertianas, quartanas etc., unde multiplicatione paroxysmorum duplicatae, vel accessu novi paroxysmi duplices nascuntur.

2. Pro tempore, quo paroxysmi intrant, apparet typus aut fixus aut vagus; typum fixum eum nominamus,

cum paroxysmus semper una eadem diei hora et ad tempus, quo antecedens fieri solet, typum vagum et anteponentem, si ante definitam horam invadit, et postponentem, si post illam evenit. Utrumque autem secundum progressiones sive arithmeticas sive geometricas accidere videtur; praeterea typus anteponens in quotidianis plerumque et vernalibus, postponens in quartanis praecipue et autumnalibus ostendere sese solet, qua re haud raro alterius paroxysmi finis cum alterius initio concurrere potest, ita ut ex intermittente fiat febris remittens.

Paroxysmus legitimarum, ut dicuntur, intermittentium in tribus consistit stadiis, in frigore, aestu et crisibus, quorum tamen unum alterumve in formis mancis deesse potest, aut tempore insolito evenit. — Ita apparent intermittentes dissectae, ubi frigore et aestu solito modo intrantibus, crisis tamen adeo retardatur et in urina et imprimis in cute, ut saepe crisis paroxysmi progredientis initium insequentis paroxysmi esse videatur, qua re veterum intermittentes inversae nascebantur.

In uniuscujusque paroxysmi fine crisis per renes simul et per cutem fieri solet, tamen saepe existunt epidemiae, quibus nisi per cutem crisis non gignitur, multo rarius per renes solos; interdum utraque crisis est imperfecta, rarissime anomala, scilicet exsudata aquosa in capitis cavo etc.

Triplex est paroxysmi character ideoque tres intermittentium formae: erethicae, sthenicae, asthenicae, quae variis efficiuntur causis, variaque praebent signa.

I. Causae.

a. Anni tempus, vere enim plerumque est genius epidemius erethicus, autumno torpidus.

b. Ubi interm. endemiae sunt, haud raro character est torpidus, dum eae, quae apparent epidemiae, saepius erethicae, rarius sthenicae evadunt.

c. Febrium typus, si tertianus est, maximam partem erethicum, sin quotidianus et tertianus duplex, sthenicum, quartanus vero torpidum characterem efficere solet.

d. Denique individua aliis dyscrasiis jam debilitata intermittentibus torpidis affliguntur, dum plethorica constitutione praedita corripiuntur sthenicis.

II. Signa.

a. In charactere erethico magna est singulorum stadiorum harmonia, frigoris scilicet stadium tam diu manet, quam aestus et criseos, qua quidem perturbata harmonia, alius existit character. In sthenicis febribus frigoris stadium cum brevissimum tum vehementissimum est, dum aestus per horas quinque ad decem durat. In torpidis autem interm. frigoris stadium maxime est longinquum.

b. In erethicis interm. et crises et apyrexia sunt completae atque purae, impurae in torpidis et sthenicis, ita ut in sthenicis pulsus durior crebriorque, cutis temperies adaucta, urina ex rubro subnigra per totam apyrexiam maneat, in torpidis contra interm. languorem aegroti sentiant frigidoque sudore obtecti sint.

B. Febres intermittentes larvatae, pro eo, quod affectum est nervorum systema, dividuntur et in ce-

rebrales et in spinales, quarum diagnosis etsi difficillima sit, tamen notis his facilior reddita est. Neque enim nisi intermittentibus epidemiis vel endemiis, aut epidemias comitantes aut antecedentes existere solent interm. larvatae. Majoris etiam momenti in febrium harum diagnosi est rhythmus et periodicitas, quibus singuli alium morbum simulantes paroxysmi oriuntur regularibus intervallis, sicuti metrorrhagia pro typo tertiano post horas XLVIII semper redit. Neque carent paroxysmi crisibus, quibus, quae interm. propria est sanguinis depravatio, facile potest cognosci. Quod vero ab Hoven contendit, nullum inter naturam febr. interm. larvatarum atque comitatarum intercedere discrimen, facile refutamus, si affectiones, quae utrumque genus comitantur, in larvatis adeo efflorescere, ut febris prorsus celetur, in comitatis contra, etsi vehementissimae ac perniciosissimae sint, febr. int. charactera nunquam removere contemplamur.

§. 3. AETIOLOGIA.

a. Causae praedisponentes internae:

1. Genus humanum; omni enim aetate a partu usque ad senectutem hoc morbo homo vexari potest, eo tamen discrimine, ut puerili aetate praedispositio sit maxima, minima aetate juvenili, major senectute; mulieres saepissime afficiuntur inter menses et puerperium.

2. Febres interm. ipsae, nam quo saepius interm. invasit hominem, eo saepius redit.

b. Causae praedisponentes externae.

Interm. singulare miasma, (malaria vel aër depravatus), quod plurimum ad interm. provocandas conferre omnes medici consentiunt. Quod attinet ad malariae originem, praesertim formatur corporum putrescentium sive vegetabilium sive animalium exhalationibus, quare endemiae interm. in palustribus regionibus et in terris, quas dicunt tropicas, inveniuntur. Deinde aqua braccata, ex aqua dulci et marina composita, sicuti vulcanicae exhalationes saepissime malariam provocare videntur.

Quibus vero rebus compositum sit miasma, multis, quae hac de re institutae sunt, inquisitionibus nullo modo repertum est; attamen, quod attinet aërem malaria impletum, satis constat:

1) aërem miasmate depravatum multo esse graviorem quam normalem.

2) aërem eundem propriam habere lucis radiorum fractionem.

3) aëris ita infecti proprium esse et singularem odorem, piscium putrescentium exhalationi similem.

c. Causae proximae.

Praedisponentibus causis praesentibus, omnia quae levissimum modo morbum efficere possunt, intermittentes producere valent, ita ut mala victus ratione, vel refrigeratione hac rerum conditione interm. aut primariae evadant, aut secundariae, organo aliquo morbo correpto, accedant.

Tempus quo finitur interm. valde differt. Nostris

vernalibus epidemiis post septem dies interm. naturae vi medicatrice interdum sanantur. Haud raro diutius intermittit morbus, et permutatus revertitur, ita ut vere typus tertianus sit cum charactere erethico, aestate quiescat febris, et autumno quartana simul et torpida redeat.

§. 4. EXITUS.

1) In sanitatem completam.

a) Singulus paroxysmus saepissime finitur duplici crisi, rarissime sola crisi per cutem, aliquando sola crisi per renes: quam utramque crisin supplementariae adhuc crises sequi solent, constitutae maximam partem per reactionis notam et rationem. Ita in interm. inflammatoriis sub paroxysmi finem haemorrhagiae oriuntur, aut miliaria quaedam circa nasum atque os. In febribus illegitimis contra crises sunt magis coercitae; crisis enim per cutem et renes vix indicata, magis irritationi nervorum systematis affecti respondet, ita ut, si nervi infecti ad secretionis aliquod organum accedunt, secretio valde augeatur, quod in nervi trigemini ramis, multas effundi lacrimas sive magnam salivationem, sub uniuscujusque paroxysmi finem videre licet.

b) Totus morbi processus etiam longius tempus occultus remanet, quam ob rem cura secundaria opus est. Fit autem morbus recidivus paroxysmi in acme finitione, crisibus incompletis, permanente colore febrili, liene intumefacto, simulac refrigeratione vel aliis causis in morbum incidendi occasio data est. Quam ob rem revale-

scentia non ab ultimo paroxysmo, sed ab ultimis morbi symptomatibus initium capit.

2) In sanitatem partialem.

Remanent residua morbi haec:

a) Formatur placenta febrilis, quae insigni modo actionem chylopoëticam perturbat. Saepissime etenim lienis parenchyma ita mutatur, ut aut atrophia aut hypertrophia, et haec quidem cum induratione vel malacia parenchymatis conjuncta existat, qui status facillime alter ab altero exploratione manuali discerni potest. Symptomata vero, quae lienis morbos significant, sunt fastidium aut fames insatiabilis, vomitus acidus, faeces anomalae, capitis dolores, vertigo, amblyopia, epistaxis, macies magna, quae, excretione partium nitrogenium continentium provocata, saepissime asciten organicum profert. Saepius etiam haematemesis vel melaena has desorganisationes sequitur, ubi vasa lienalia venae portarum obliterata esse satis definite contendere possumus. Denique ruptura ipsius lienis accidere potest. Multo rarius lienis morbis sunt morbi hepatis, et quidem tum atrophia tum hypertrophia, quae vero utraque in scirrhosin hepatis commutatur.

b) Hydropsiae et quidem Schoenlein auctore tres ejus formae:

α) hydrops acutus, qui, sub finem uniuscujusque paroxysmi loco crisium normalium intrans, sub forma ascitae vel pericardii hydropis, vel hydrothoracis, vel hydrocephali acuti infantum apparet.

β) Hydrops atonicus imprimis quartanam organismo valde debilitato subsequitur.

γ) Hydrops organicus degeneratione lienis vel hepatis effectus saepissime cum dextri cordis dilatatione conjunctus est.

c) Perturbationes psychicae, scilicet melancholia, spectrorum metus, nisus aut semetipsos aut alios interficiendi, etc.

3) In morbos alios.

Intermittentes haud negandam in certos morbos transeundi inclinationem, quae pathica dicitur sympathia, habent, velut:

a) in processum typhosum, praecipue apud homines, qui jam prius scrophulosi, chlorotici, cachectici, mercurii nimio usu debilitati erant. Nec raro hic transitus in interm. torpida quotidiana cernitur, in malignis igitur formis, quas vehementissimae crises colliquativae comitantur, exempli gratia in interm. dysenterica, cholerica, sudorifica.

b) In febres gastrico-catarrhales et quidem his conditionibus: si typus quotidianus aut tertianus duplex cum typo anteponente junctus est, ut intermissiones inter duos paroxysmos breviores fiant, vel si jam initio interm. complicatio gastrica apparet.

Quo modo sympathiam pathicam, eodem etiam apathiam pathicam prae se ferunt interm., qua re nititur sententia eorum, qui intermittentibus vim depuratoriam quandam tribuunt. Evanescunt enim, simulac interm. apparuit, multi morbi aut omnino aut per tempus inter-

mitt., in quorum numero sunt ulcera dyscrasica, impetigines, scabies, alii. Quae interm. vis depuratoria nimis aestimata est, cum multi contenderent, omnem febrem tempus quoddam agere debere, ut latentes morbi, cum interm. semper complicati, impedirentur, quominus proveniant. Criteria autem verae interm. depuratoriae sunt haec:

1) individuum alio morbo intermittente sanando affectum esse necesse est.

2) Inter morbum sanandum et interm. antagonismus quidam existere debet, quem aut in residuis priorum interm., ut in placenta febrili, aut in morbis nervorum, praecipue gangliorum systematis, uti epilepsia, chorea, melancholia, hypochondria, aliis, aut maxime perspicue in tuberculosi videmus.

3) Morbus, in quo interm. vi depuratoria utatur, vehementior et periculosior interm. esse debet.

4) Primi jam paroxysmi praesentis morbi mitigationem afferant necesse est.

4. Exitus in mortem.

Sequitur mors in paroxysmis, nunquam in apyrexia; quonam vero stadio paroxysmi mors appareat, ex terrae cujusque natura pendet, ita ut regionibus septemtrionalibus maxime frigoris stadium, meridionalibus aestus stadium periculosissimum sit, in stadio autem criseos rarissime mors eveniat.

a) Mors in stadio frigoris in interm. simplicibus organorum centralium paralysi accidere solet, quae magna

hyperaemia, vel extravasatis sanguineis, vel exsudatis in cavitatem sive cranii sive canalis spinalis, efficitur. Interdum quoque mors ex corde progreditur, cum inter frigus magna sanguinis quantitas in cor pellatur, ut aut apoplexia aut ruptura cordis eveniat.

b) Mors in stadio caloris exsudatis aut sanguineis, aut aquosis, aut lymphaticis prodire solet.

c) Mors in stadio criseos, etsi rarissime ingruat, tamen ex colliquativis crisibus progredi potest, ita ut sudoribus profusis vel diarrhoeis colliquativis debilitati aegroti virium exinanitione corripiantur.

Saepius quam in paroxysmo defunguntur aegroti morbis secundariis, physconiis, haemorrhagiis, rupturis, scirrhosi hepatis, hydropsiis.

§. 5. THERAPIA.

A. Indicatio causalis cum ad malariae formationem prohibendam, tum ad individuum ab intermittentis miasmate defendendum, tum ad morbum praesentem removendum spectat. Malariae formationem impedire magis politiae est quam singulorum medicorum; altera vero indicatio, qua ratione ab interm. epidemiis tuendum sit individuum, cura diaetetica, vitandis alimentis noxiis et perfrictione expleatur necesse est.

Sin autem febris prodromi, lassitudo, nausea, cephalaea, quae signa e sordibus primarum viarum maxime prodeunt, apparent, emeticum ex tartaro stibiato et ipecacuanha, deinde sudorifica saepissime removent morbum

jam ineuntem. Quod vero alii commendaverunt, solum usum diaphoreticorum, praecipue ammonii praeparatorum, valde refutandum est, quia haec remedia primum systema vasorum, tum demum cutis functionem augent.

B. Indicatio morbi et singulos paroxysmos et totum morbum respicit. Cura paroxysmorum rursus e febris stadio et charactere pendet.

a) Si character febris erethicus est, quantum licet inhibeatur. In stadio igitur frigoris injucundam temperiem moderemur, quod minus internis medicamentis effici potest quam externis, scilicet cute fricanda lanis calefactis, adjuvante infuso florum tiliae vel chamomillae pro potu. In stadio autem caloris cura contraria adhibenda est, aegrotis quidem ad bibendum aqua frigida saccharina cum succo citri mixta, tegumina leviora sunt praebenda, cum in criseos stadio calidioribus rursus tegumentis, potibus diaphoreticis uti aegrotus debeat, et crisis ipsa, simulatque apparuit, ne interrumpatur, primum sudorem exspectet, deinde vero habitus aridos calefactosque induat necesse sit.

b) In charactere sthenico, quo frigoris stadium brevissimum est, omnia medicamenta excitantia et interna et externa omnino rejicienda, tepida tantum aqua citronata porrigenda. Cum vero longius caloris stadium maxime sit periculosum, antiphlogosis, reactionis intensitate respecta, nitrum, cremor tartari, acida vegetabilia, succus berberidum cum aqua saccharina, clysmata ex aqua frigida cum aceto vini, ad congestiones ad caput evitandas,

sunt adhibenda. Raro nisi in interm. pneumonica, cardiaca, apoplectica venaesectio instituenda est, atque ita ut in apoplecticis vena jugularis, in pneumonicis vena mediana incidatur. Cum venaesectione conjungantur semper sanguinis detractiones locales, quae in infantibus, vehementissimis congestionibus et ad caput et ad medullam spinalem affectis, solae sufficiunt, cum sanguinis missiones instituantur ad eum finem, ut character febris inflammatorius ad erethicum reducatur.

c) Sicuti in sthenico charactere calor, ita in torpido frigus summi est periculi, quam ob rem, alvi evacuatione praemissa, statim incitamenta et interna per ventriculum, et externa per cutem applicentur necesse est. Neque tamen sanguinis detractiones omnino refutandae, cum aut cerebrum aut medulla spinalis, aut cor in stadio frigoris adeo sanguine impleta esse possint, ut, regressu sanguinis prohibito, ne pressione sanguinis laedatur organorum functio, et cucurbitulis et hirudinibus parti affectae applicandis opus sit. Ad incitamenta autem interna referuntur infusa aromatica valerianae cum naphtha, serpentaria, ammonium carbonicum vel causticum in serpentariae, arnicae, valerianae infusis, alia; quae medicamina, organis deglutitionis paralysatis, ut deglutire nequeant aegroti, per anum applicanda sunt. Sin clysmata propter semiparalysin recti statim rejiciuntur, denuo injicienda sunt cum tinct. nuc. vomicae gtt. VI—VIII. Praeterea externa quoque et vehementissima incitamenta admovenda, sinapismi magni, oleum sinapeos, ammonium causticum cum

adipe junctum, quo jam paucas post minutas cutis rubefacta vehementius irritatur. Quae cura idoneis etiam potibus, infusis aromaticis, cum aqua vitae vel vino rubro mixtis, adjuvetur. Commendatum est quasi specificum contra paroxysmos torpidos opium, quod quidem non in omnibus febris formis salubre, tamen certis conditionibus efficacissimum et maxime necessarium est medicamentum.

1) Cerebro aut medulla spinali vehementissime stimulatis, musculorum voluntariorum spasmis et convulsionibus procreatis, itaque in interm. tetanica, epileptica, tinctura opii crocata sive per os, sive cum hoc fieri nequeat, per rectum inducenda maximam habet vim ac momentum.

2) In interm. dysentericis vel cholericis, tunica mucosa systematis chylopoëtici in frigoris stadio vehementer irritata, pilulae glaciales cum tincturae opii magna dosi ad sedandam diarrhoeam atque vomitum, auctore Schoenlein sunt maxime efficaces. Nec minus endermatice applicatum opium, ita ut in scrobiculum cordis, aut inter illum et umbilicum, ubi plexus coeliacus situs est, vaporibus fervidis celerrime excoriatione facta, vel morphium aceticum inspergatur, vel quod majorem etiam habet vim, opium solutum per pannum linteum in locos erosos inferatur. In stadio porro caloris eadem praescribantur medicamenta, sed dosi minori, salia ammonii tantummodo et naphtha cautius administrentur, cum crises nimis colliquativas proferre queant. In criseos stadio crisis, si debilior est quam esse debet, et externis et in-

ternis medicamentis ad normalem statum producenda. Quem ad finem et ammonium succinicum vel carbonicum cum infusis aromaticis, et balnea cum sinapi aliisque acribus ita praescribenda, ut aegrotus usque ad umbilicum in balneo positus superne in ceteram corporis partem aqua calida superfundatur, tum lana, junipero vel mastiche suffita desiccatus fricatusque in lecto retineatur, calidisque diaphoreticis impleatur. Contra si crisis per cutem est nimia, ut permagna sudoris quantitas effusa adeo debilitet aegrotorum vires, ut pulsu frequentissimo, sed parvo, debili, filiformi, hypothymia, syncope, collapsus adveniant, ne hoc modo defungantur aegroti, acida cum alcohole, elixir acidum Halleri, acidum phosphoricum, alia in usum internum, pro lotionibus autem spiritus formicarum, serpylli, acetum camphoratum praescribantur. Simul aegroti in strato subfrigido jacentes, si vehemente siti vexantur, serum lactis cum vino rubro bibant, qua re crisis nimia coërcetur neque tamen interrumpitur.

Multo vero periculosiores nimiis sudoribus sunt diarrhoeae colliquativae, quae supplementariae interdum crises existunt. Quapropter ad eas tollendas remedia multo magis strenua, styptica, extractum opii vel nucis vomicae, kino, catechu, fomentationes terebinthinaceae, vesicatoria adhibenda sunt.

2) Cura paroxysmorum interm. illegitimarum.

a) Specierum vasculosarum. Irritatio nervorum vasomotoriorum et quidem eorum, qui ad vasa singulorum organorum ducunt, in his organis efficere potest

hyperaemiam, quae ad stasin inflammatoriam, vel ad haemorrhagiam provehi potest. In quo casu medici est, inflammationem prohibere aut praesentem statim opprimere. Ita interm. larvata cum vehementi irritatione nervorum pulmonis vasomotoriorum conjuncta, hyperaemiam pulmonum producit, ex qua inflammatio, i. e. pneumonia intermittens, et paralysis pulmonum oritur. Quam ob causam jam inter paroxysmum hi status periculosi removendi, quem ad finem sanguinis detractio pro periculi intensitate et gravitate, aut cucurbitulae cruentae solae, aut ipsa venaesectio inter paroxysmum applicetur necesse est. Hyperaemia autem in pneumorrhagiam provecta fomentationes ex glacie postulat.

b) Specierum nervosarum vasculosis multo crebriorum irritatio posita est in nervis vel sensitivis, vel motoriis. Quo facile intelligi potest, curam esse instituendam ad charactera aut irritationis, quae est neuralgia, aut depressionis, quae est paralysis, accommodatam. In neuralgia igitur si dolores magni cruciant aegrotos, methodus sedativa insistenda. Saepissime nervi facialis et trigemini rami frontalis irritatio aegrotos per complures horas vexat doloribus vehementissimis, qui remittentes quidem, in quotidiana autem post horas viginti quatuor, in tertiana post horas quadraginta octo rursus intrant. Qui dolores omnino sedandi, paroxysmus mitigandus medicamentis narcoticis, fomentationibus cum opio, belladonna, inunctionibus ex unguento veratrini; majorem

etiam utilitatem frigoris applicatio ad locum affectum praebet.

Multo rarior neuralgia altera irritationis nervosae species est paralysis in nervis et sensitivis et motoriis, in maris mediterranei oris interdum obvia, exempli gratia amaurosis intermitt. quae intra viginti quatuor horas per duodecim horas coecos facit aegrotos. Eodem modo nervorum colli musculos moventium paralysis caput obstipum periodice provocat. Paralysis eorum nervorum, qui ad organa minoris dignitatis accedunt, natura medicatrice sananda, neque quidquam curandum, nisi morbi totius indoles. Strenua autem atque efficax cura adhibenda, si organorum ad vitae integritatem necessariorum nervi paralysi affecti sunt. Quod in nervi vagi plexu pulmonali, sub forma asthmatis interm., ubi suffocationis summum est periculum, saepissime conspicimus. Quo in casu acerrimis irritamentis, ipsa electricitate et electromagnetismo, sinapismis, ammonio caustico, in regione epigastria applicandis, opus est. Interne ipecacuanha, stibio cum ammonio, asa foetida, benzoe utatur aegrotus necesse est.

Cura morbi totius.

Veterum medicorum opinio, interm. per tempus quoddam existere debere, quia iis suppressis multa incommoda individuo praepararentur, ex falsa interm. depuratoriae sententia prodiit. Quae quam perniciosa aegrotis evenire possit, ex decursu interm. larvatarum, quarum secundus paroxysmus jam mortem afferre solet, facile intelligitur. Quare his modo conditionibus theoria illa in usum veniat:

a) Si interm. benigna, paroxysmus brevior crisibus normalibus discernitur; sicuti in interm. vernalibus, quae post paroxysmum quintum vel septimum saepissime evanescunt.

b) Si interm. re vera depuratoria est; sed hoc quoque in casu vis depuratoria tempore certo limitatur, nam si per nonnullos paroxysmos bona interm. in alium morbum vis perduravit, tum subito cessare potest, ita ut tunc etiam intermittenti locum dare insanum esset.

Altera medicorum sententia, usui febrifugorum semper curam praeparativam antecedere debere, sordium, aliarum materiarum crudarum praesentia, quam in morborum aetiologia Stoll docet, nititur. Quem ad finem ut sordes illae tollerentur ante febrifugorum usum remedia praescribebant digestiva; ammonium muriat., tart. stib., cett. usque ad vehementissima emetica. Quae theoria etsi Stollii temporibus accommodata erat, cum tunc genius epidemius gastrico-biliosus vigeret, post paúca decennia, simulac genius epidemius nervosus exstitit, refutari debebat. Interdum tamen fieri potest, ut detrimenta alimentaria intermitt. procreent. Quo in casu primum emeticum febrifugis praemittendum, neque tamen febrifuga omnino omittenda, cum saepe accidat, ut remediis antigastricis ad statum hunc gastricum submovendum nihil valentibus, post febrifugorum usum symptomata illa, sicuti cephalaea gastrica, sapor amarus, cett. unà cum toto morbo disparerent. Quo facile perspicitur, symptomata gastrica inter-

dum china ejusque salibus tollenda esse et quidem hisce rationibus.

a) Si modo tegumentum linguae adest gastricum, reliquis symptomatibus vero gastricis, uti oppressione regionis epigastriae, urina gastrica, aliis remotis.

b) Si tantum in paroxysmis, neque in intermissionibus, symptomata gastrica existunt.

c) Si, methodo antigastrica instituta, symptomata paullulum mitigata in uno eodemque statu subsistunt.

Febrifugorum numerus est ingens, tamen duo sufficiunt, china ejusque salia et arsenicum ejusque praeparata.

1. China ejusque salia sanguinis dyscrasiae mutationem efficiunt. Salia potissimum adhibenda sunt, quamdiu paroxysmi persistunt, quibus vero sublatis ad totum morbi processum extinguendum cortex ipse chinae sumendus. In formis malignis cum brevi apyrexia inter paroxysmos ipsos et plerumque in caloris vel criseos stadio china porrigenda est. Dosis chinae ex periculo paroxysmi imminentis pendet. Plerumque china per os datur, quod vero si propter paralysin vel vomituritiones fieri nequit, clysmatibus vel endermatice applicatur.

Corrigentibus et adjuvantibus chinae vis noxia, quae aut reactionis charactere aut aegroti individualitate nititur, prohibeatur.

Ita in charactere sthenico chinae admiscenda sunt salia media, imprimis kali et natron nitricum, magnesia sulphurica. Si ad interm. morbus alius accedit, chinae

medicamentum illi morbo respondens addatur: sic in pneumonia chinino muriatico ammonium nitricum, in hepatis affectionibus calomel adjungatur; in charactere interm. torpido medicamenta excitantia, olea aetherea, ammonium carbonicum, vel castoreum et moschus una cum china porrigenda.

Porro quod ad aegrorum individualitatem spectat, aliis, quibus china molestias gastricas affert, remedia aromatica, cinnamomum, faba pichurim, elaeosacch. menthae, melissae, aliis, quibus china, vehementissimis doloribus colicis provocatis, inconfecta excernitur, opium vel extr. nucis vomicae cum china conjuncta sunt praebenda.

Usu chinae, quod nonnulli contenderunt, morbos secundarios existere nullo modo probatur. Nam ut interm. in febrem remittentem mutetur, nisi inepto in gastricis complicationibus chinae usu, fieri non potest, cum in ipsis his complicationibus, dummodo chinae salia impendantur, nullum incommodum existat. Quod vero Hahnemann primus observavit, post chinae usum dolores rheumatismi similes, i. e. china rheumatismum provenire, hoc fieri tantum potest, si nimia chinae multitudo sumta secretionibus naturalibus eliminari nequit, ita ut pars ejus in corpore remanens, pari modo quo hydrargyrum, propria efficiat symptomata morbi.

Victus ratio per apyrexiam observanda secundum febris charactera instituatur. In erethicis interm. cibi leves, lactuca, asparagus, alii porrigantur; vitentur autem fructus aquosi, vel aqua mala, ad quam corrigendam al-

cohol vel tinct. chinae composita addatur. In charactere sthenico diaeta sit antiphlogistica, in torpido roborans atque irritans. Maxime vero videndum, ut aegroti in convalescentia auram matutinam et vespertinam, sicuti tempestatem asperam evitent, cum levissima refrigeratio morbum revocare possit.

2. Arsenicum ejusque praeparata ex India saeculo duodecimo in Europam translata et a Paracelso potissimum adhibita, postea vero damnata, ab Heimio rursus in medicinam sunt reducta, postquam, quae esset eorum vis, ex carnifice Wittstockii cognovit.

Ut china remedium contra sanguinis dyscrasiam, ita arsenicum insigne est auxilium contra affectiones nervorum, quae dyscrasia illa sublata remanent, sicuti in epilepsia abdominali anthelminticis provocata, his remotis mala ista nervorum impressio permanet.

Adhibendum vero est arsenicum, si dominatur systema nervosum, ut in hominibus sensibilibus, ubi frigoris stadium longum, aestus brevissimum est, crisibus imperfectis, lingua pura, aliis digestionis molestiis deficientibus; imprimis vero in interm. larvatis multo majorem habet vim arsenicum quam china. Optime datur kali vel natron arsenicosum in solutione vel Fowleri vel Heimii.

Neque magis quam china arsenicum gignit hydropem, neque phaenomena paralytica. Omnino symptomata morbi arsenicosi tam perspicua sunt, cum dolor in scrobiculo cordis, appetitus amissus, vomituritiones statim appareant, ut hirudinibus ad scrobiculum cordis applicatis, fomentis

narcoticis, maxime vero ferro oxydato fusco, optimo arsenici antidoto, facillime profligari possint.

C. Indicatio exituum. Paroxysmis desinentibus, morbus ipse nondum sanatus est, cum saepissime redeant paroxysmi. Satis vero constat, in tertiana die octavo, in quartana quarto decimo ab ultimo interm. impetu redire novum. Hae sunt dies criticae et medici est, in tertiana ad diem octavum, in quotidiana et quartana usque ad quartum decimum tractare aegrotum; imo etiam diutius in cura secundaria est perseverandum, ubi nondum omnia morbi signa evanuerunt. Cura autem secundaria et diaetetica est, ut eadem, quae fuit in morbo, victus ratione utatur aegrotus, et pharmaceutica, ut cortex chinae ipse cum corrigentibus illis supra commemoratis chinae salibus praeferatur.

Ut in scrophulosi dyscrasia omnes inflammationes scrophulosam prae se ferunt naturam, item intermittentium morbi secundarii specificam interm. naturam ostendunt, quare in iis curandis summi est momenti cortex chinae.

a) In lienis affectionibus hypertrophia cum emollitione facillime sanatur cortice chinae una cum aquis ferrum sulph. vel muriat. continentibus, sicuti Pyrmonti, Sualbaci aqua; hypertrophia lienis cum induratione, inflammatoriis adhuc symptomatibus et haematemesis signis praegredientibus, primum antiphlogosi, frictionibus unguenti mercurialis, hirudinibus applicatis, deinde chinae et tartari tartarisati cum rheo usu interno est curanda. Atro-

phia vero lienis, quae raro tantummodo evenit, sanari nondum potest.

b) In hepatis affectiones, si ejus degeneratio scirrhosa nondum intravit, maximam habet vim purus atque siccus aër montanus. Itaque si fieri id potest, relicto in quo habitant loco, tales adeant regiones aegroti. Praeterea magnam afferunt utilitatem remedia, quae hepatis secretionem augent, uti calomel solum vel cum extract. sapon. conjunctum.

c) Hydropsiae aut incompletis per cutem crisibus aut nimia virium prostratione sanguine liquefacto oriuntur, quare primo in casu una cum china diaphoretica, imprimis ammonii praeparata, vel digitalis, in torpidis vero hydropicis medicamenta excitantia et roborantia praescribantur necesse est. Omnibus in affectionibus hydropicis paracentesin quam primum institutam maximi esse emolumenti experientia docuit.

VITA.

Natus sum Gustavus Joannes Simon Polzini, oppidulo Pomeraniae, die V. mensis Decembris anno hujus saeculi vicesimo secundo patre dilectissimo Gustavo, matre carissima Franciscae gente ab Zastrow, quos hucusque vivos salvosque veneror. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis domi imbutus, Berolini frequentavi gymnasium Joachimicum, quod etiam nunc Directore Meineke floret. Maturitatis testimonio instructus in almam litterarum sedem Fridericam Guilelmam Berolinensem discessi et ab Ill. Dieterici, Rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus, apud Ill. Juengken, gratiosi medico-

rum ordinis Decanum spectatissimum, nomen rite professus sum. Lectionibus interfui hisce:

Ill. Trendelenburg de logice; Ill. Dove de physice; Ill. Kunth de botanice; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medicinae, de pathologia generali, de historia medicinae; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Schlemm de osteologia; Ill. Mueller de anatomia generali et speciali et organorum sensuum, de anatomia comparata, de physiologia et physiologia generationis; Ill. Wagner de medicina forensi; Ill. Mitscherlich de materia medica; Cel. Ideler de anthropologia; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Juengken de chirurgia et generali et speciali.

Practicis me exercitationibus instituerunt: Ill. Mueller et Ill. Schlemm arte cadavera rite secandi; Exp. Angelstein operationibus ophthalmicis; Exp. Langheinrich operationibus obstetriciis in phantomate. In clinicis duces gravissimi benignissimique mihi fuerunt Cel. Wolff, Cel. Truestedt, Ill. Juengken, Ill. Dieffenbach, Cel. Romberg, Ill. Bursch.

Quibus viris omnibus gratias quam possum maximas ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medicis,

nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore, ut dissertatione et thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Causa proxima febrium intermittentium in mala sanguinis conditione sita est.
2. Hydrocele tutissime incisione curatur.
3. Syphilis sine mercurio curatur.
4. Non omnes morbi sanari debent.
5. Medicum esse philosophum oportet.
6. In medicina forensi tantum penes medicos esse debet judicium primarium.